



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

30. S. Rosa Limana

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

*Instructio meritoria.*

Nunquam ibimus in lectum, nisi depositò priùs mortis testamento in devotis libellis facilè invenièdo. Praxis hæc, si fuerit constans, quàm suavem, & quietum somnum impetrabit à nobis? Gustabimus tunc, quando gustâsse æternùm proderit. Pro beata, & serena morte pro nobis ipsis latentes in templo *commendationem animæ* quàm ardentissimè persolvamus. Tela prævisa minùs feriunt.

Festum S. Rosæ Limanæ ex tertio Ordine S. P. Dominici.

## EXHORTATIUNCULA I.

**E**Cce novi orbis florem nobilem! O quem sanctitatis, Christianæ perfectionis, & innocentia odorem non spererat in patria hæc Virgo! Ideò & ab ipsa Cœlitum Regina nominata est *Rosa* ob insolitam morum sanctimoniam, & suavitatem. Chare fili! Hortus est mundus. Nos Rosæ, & flosculi! Attendamus, ne sine odore virtutis.

*Instructio meritoria.*

Difficile est, placere Deo, placere & sæculo. Moribûs, modestiâ, prudentiâ, & Christianâ pietate exprimamus, cui serviamus. Id quod maximè fiat in loco recreationis, & humanæ conversationis. Exemplis bonis bonus Christi odor sumus. Ad impetrandam modestiam linguæ, & oculorum, hodiernum S. Rosarium offeramus Virginum Reginæ, Mariæ per manus S. Rosæ innocentissimæ. O Rosa! Quando te pinges in nostra modestia?

## II.

**R**osa in mediis mundi illecebris illibatam servavit cordis puritatem. Quò mediò? solius Jesu casto amore. Chare fili! gaudia sæculi quid ad nos? Inquinabimur, quoties gustabimus. Delectet potiùs meminisse Jesu inter solatia, ne prævaleat caro. Sit nobis, uti D. Augustino ita de Jesu suspiranti: *Tædeat me gaudere sine te; Et delectet contristari pro te. Sit mihi Nomen tuum refocillatio, & memoria tui mea unica consolatio.*

*Instructio meritoria.*

Martyrii quoddam genus est, interese deliciis, & tamen non superari. Harum si detur occasio, accedamus, sed in timore sancto, & in Dei præsentia. Et ne totum tempus tribuamus corpori, saltem circa medium refectionis, aut alterius honestæ refocillationis mentem colligamus, & ad ecclesiam, vel ad cœlum mittamus illò amoris suspiriò: *Anima Christi! sanctifica me!* Hic ne nostra deficiat memoria, preces mensales magna devotione, & attentione hodie recitemus cum psalmo: *Benedic anima mea Domino.* Ingratissimus est mortaliū, qui immemor Dei, dum in actuali fruitione Divini beneficii.

## III.

**F**ili! cur corpori, & cuti blandimur? S. Rosa jejuniis, & flagris in seipsam usque ad sanguinem copiosum defavit. Capiti suo coronam argenteis acuminibus hirsutam imprimit. Quò motivò? Ut in partem aliquam veniret dolorum Jesu. O nostram desidiam pro imitatione Christi! quid respondebimus in-  
terro-

XXXI. Augusti. S. Raymundi Nonnati. § 13

terroganti: *Quomodo vixisti?* Gaudeat mundus in rebus caducis & fluxis: Nos autem gaudebimus in Domino, & exultabimus in Deo Jesu & hoc Crucifixo.

*Instructio meritoria.*

Ne grave immineat nobis iudicium Dei, præveniamus operibus poenitentiae. Imminent solemnia festa? Imminet feria sexta? Recordemur, quò actu rigoris, aut mortificationis Christum, aut Sanctum, de quo festum, devotè veneremur. O si nulla hebdomas sine actu heroico! Ut fiat, flexis genibus SS. Rosarium de 7. doloribus hodie recitemus. Rosa etiam floret in mediis spinis, ciliis, jejuniis, ac disciplinis.

Festum S. Raymundi Nonnati  
ex Ordine sub titulo de Redemptione Captivorum.

EXHORTATIUNCULA I.

**M**iremur in parvulo virum. Puerilia oblectamenta extremè horruit Raymundus, tantámque pietati impendit operam, ut omnes in puero adultam suspicerent virtutem. Suspiciamus, ve-

Y 5

nere-